ſeminarium libidinis eſt. Idem, lib. 2. in Jovinianum.

Et ex viliſſimis vitanda eſt ſatietas; nihil enim ita obruit animum, ut plenus venter. Idem, ibid.

Vinum & adoleſcentia duplex eſt incendium voluptatis; quid oleum flammæ adjicimus? Idem, ad Euſtoch. de virginit.

Hæc adverſus adoleſcentiam prima dæmonum arma ſunt, (nempe vinum & gula.) Idem, ibid.

In vino luxuria eſt; ubicumque ſaturitas, & ebrietas, ibi libido dominatur. Idem, in Epiſtola ad Oceanum.

Cor habet in ventre guloſus. Idem, in Matth.

Si quis exiſtimat & abundantia ciborum potionumque ſe perfrui, & vacare poſſe ſapientiæ, hoc eſt verſari in deliciis, & deliciarum vitiis non teneri, ſeipſum decipit. Idem, lib. 2. in Jovinian.

Animus mero æſtuans, cito deſpumat in libidinem. Idem, Epiſt. 83.

Semper epulas comitatur voluptas; nam dum corpus in refectionis delectatione reſolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Greg. l. 2. Moral.

De ventris ingluvie inepta lætitia, ſcurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo ſenſus circa intelligentiam propagatur. Idem, l. 3. Moral.

Voluptas ſub neceſſitate ſe palliat, ut vix eam perfectus quiſque diſcernat. Idem, in Moral.

Non cibus; ſed appetitus in vitio eſt; unde & lautiores cibos plerumque ſine culpa ſumimus, & abjectiores non ſine reatu conſcientiæ deguſtamus. Idem, l. 30. Moral. c. 17.

Dominante gulæ vitio, omne quod homines fortiter gerunt, perdunt. Idem, ibid.

Gulæ vitio reſciſſo, multa ſimul vitia reſecantur. Idem, in Reg.

Gula innumera vitiorum agmina ad animæ conflictum perducit. Idem, ibid.

Quod neceſſitatem in edendo excedit, id non alimentum, ſed peſtis eſt: ſatietas malorum omnium origo. Chryſ. Hom. 21. in Matth.

Nihil eſt gula pernicioſius, nihil ignominioſius eſt; hæc obtuſum & craſſum ingenium, hæc carnalem animum reddit, hæc cæcat intellectum, nec ſinit ut quicquam perſpiciat. Idem, Homilia 44. in Joannem.

Ubi regnat ebrietas, ratio exultat, intellectus obtunditur, conſilia deviant, judicia ſubvertuntur. Chryſol. in quodam Sermone.

Omnibus in locis cibus qui ſit ad victum neceſſarius ſolerti ratione inquirendus, condimentorumque elaboratæ blanditiæ, & voluptatis illecebræ repudiandæ. Baſil. de vera virgin.

Gulæ vitium non in eſcarum copia naturæ ſuæ vim exercere novit, ſed in voluptate atque guſtatu. Idem, Serm. de Abdicat.

Non ſola crapula vini mentem inebriare conſuevit, verum etiam cunctarum eſcarum varietas. Caſſianus in Inſtit. Monaſt.

Primum nobis calcanda eſt gulæ concupiſcentia. Idem, l. 5. c. 14.

Sicut omnes carnales cupiditates per abſtinentiam reſecantur, ita omnes animæ virtutes edacitatis vitio deſtruuntur. Iſidorus de ſummo bono.

Nemo poteſt virtutum perfectionem attingere, niſi prius ventris edomuerit ingluviem. Idem, libr. 1. cap. 42.

Pleriſque laus eſt multum bibere, & non inebriare; audiant ii adverſum ſe dicentem Prophetam: væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. Idem, lib. 2. cap. 43.

Quid infelicius ebrietatis dominatu? ventri ultra capacitatem infundere, ſenſui rationem adimere, non loqui, non meminiſſe, non ſtare, & mortem quamdam naturæ incolumi imperare. Hilarius in Pſalm. 125.

Monſtrum haberetur libido ſine gula. Tertull.

Divitiæ edacitatis abnormitati deſerviunt. Idem.

Appendices gulæ laſcivia atque luxuria. Idem, c. ult. de Jejunio adv. Pſichic.

Fiunt abundantia ciborum fomenta vitiorum. Iſidorus.

Non ſufficit gulæ, quod ſufficit naturæ. S. Leo, Serm. 12. Quadrag.

Ebrietas eſt blandus dæmon, dulce venenum, quam qui habet, ſeipſum non habet; quam qui facit, peccatum non facit, ſed ipſe totus eſt peccatum. Aug. in quodam Serm.

Plures occidit gula, quam gladius.

Quorum mens cum carne impinguata eſt. Caſſianus de ſpiritu Gaſtrimarg.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu ad hoc argumentum depromi poſſit.

Intemperantiæ, vel gulæ definitio.
S. Tho. 2. 2. q. 148. ar. 1.

INtemperantia, vel gula inordinata eſt edendi, bibendi cupiditas. Contra temperantiam peccat, qui vel vetitis veſcitur dapibus, vel immodice licitis etiam ſe ingurgitat, vel in illis nimirum deliciarum inquirens voluptati nimis indulget. Et ratio eſt, quia voluptas, quæ ex eſu, & potu percipitur, medium eſt, & ex eo fit finis; remedium eſt noſtræ imbecillitatis, & ex eo vel peccati illecebram, vel concupiſcentiæ eſcam efficimus. Neceſſitas, & ratio eſſe debent edendi, bibendique regula, ſed a neceſſitate ad voluptatem, & a voluptate ad exceſſum progredimur. Rationis prætergredimur fines; & cibo, potuque ad illam vel infirmandam, vel perdendam abutimur; & per ea ipſa, quæ ad corporis vitam, ac valetudinem tuendam inſtituta ſunt, illius ſæpe, animæ vero ſæpius mors procuratur.

Gula, & ebrietas ſunt duæ ſpecies intemperantiæ.

Quemadmodum ſobrietas in cibi, ac potus moderatione conſiſtens, duobus vitiis adverſatur, gulæ, & ebrietati; ſic intemperantia, quæ illi oppoſita eſt, duas habet ſpecies, quæ ſunt materia ejus mali, quod in hoc vitio invenitur, ideoque duo ſunt diverſa peccata contra ſobrietatem; videlicet gula, quæ peculiariter cibum reſpicit, & ebrietas, quę proprie in exceſſu conſiſtit vini alteriuſque liquoris, qui ebrietatem poſſit afferre. Itaque intemperantia nomen eſt utrique commune; & promiſcue ad utrumque ſignificandum poteſt uſurpari.

Quando cibi, potuſque intemperantia mortale peccatū eſt, vel tantum veniale.

Intemperantia nonnumquam peccatum mortale eſt, cum accidit, ut voluptas, quæ ex cibo potuque percipitur, ad contemptum divinarum legum nos trahat; vel cum efficit ut in notabili materiæ quantitate Eccleſiæ præceptum infringamus, vel ut propter hanc voluptatem ita affecti ſimus, & præſto ſimus Divinis legibus in re gravi infringendis, quibus prohibemur ne ſatis faciamus huic voluptati, & inordinato eſcæ, potuſque appetitui indulgeamus. Intemperantia hæc nonnumquam venialis tantum eſt noxa, videlicet cum efficit, ut iis in rebus deficiamus, quæ ad noſtrum finem ordinatæ ſunt, Deum nempe, quin tamen, ut huic ſatis faciamus cupiditati, quidquam in Dei, Legumque ejus contemptum aggredi velimus. Hoc docet Sanctus Thomas, vitium iſtud conſiderans in habitu, vel diſpoſitione illius, qui eidem obnoxius eſt. Quod pertinet ad actus temperantiæ contrarios, inſigniores, melioriſque notæ Doctores, atque Caſuiſtę in gravium, mortaliumque peccatorum numerum iſta conſtituunt. 1. Quamquam convivia, & comeſſationes inter amicos, & conſanguineos, quibuſdam in occaſionibus liceant; mortaliter tamen peccatur, ſi quis ſe mero, dapibuſque ita ingurgitat, ut non modicum ſuæ officiat valetudini. 2. Cum hoc pacto quis imparem ſe præſtat muneris ſui officiis obeundis, quę neceſſario adimplere tenetur. 3. Si hę compotationes, comeſſationeſque ita frequentes ſunt, ut ex ventre Deus fiat, ut inquit Apoſtolus; ut nil cogitetur aliud, non alia cura, finiſque habeatur. 4. Cum, ut inordinato fiat ſatis appetitui, Eccleſiæ jejunia violantur. 5. Cum quis ſe mero proluit uſque ad ebrietatem, atque rationis jacturam. vel cum, ut ſuę indulgeat voluptati, ſeipſum in diſcrimen adducit de ſano mentis uſu dejiciendi: 6. Cum ad aliorum ebrietatem aliquid conferimus, illos ad perpotandum ſuadentes, & impellentes; quod ſatis crebro contingit. 7. Si prævidemus futurum ut largius epulis, vinoque noſmet ingurgitantes in aliquod impudicitię peccatum, qui effectus eſt intemperantię, decidamus.

S. Thom. ibid. art. 2.

Paulo nimis manducare, & juſtam neceſſarii cibi menſuram excedere non ſemper eſt contra temperantiam.

Quemadmodum gulæ, atque intemperantiæ proprium eſt, cum facti cognitione, atque inordinato appetitu regulam, juſtamque cibi, potuſque menſuram prætergredi; qui ultra quam opus, & fas eſt manducat, aut bibit non propter inordinatum hunc appetitum, ſed quod credit, & ſibi perſuadet ciborum copiam, qua utitur, neceſſariam eſſe valetudini ſuę, vel viribus reficiendis, quę, ut munere ſuo perfungantur, ſunt neceſſarię; poteſt quidem falli; vel per ignorantiam, non autem per intemperantiam peccare. Similiter neque cupediarum delicię, ſed cupiditas inordinata, qua appetuntur, peccatum conſtituunt.

Præcipui actus intéperantiæ.

Cum pluribus modis contra temperantiam peccari poſſit, hi ſunt præcipue evitandi, ut quemadmodum Chriſti fidelem decet, noſmet geramus in actione,

quæ per ſe adeo abjecta eſt, ſed quæ omnino eſt neceſſaria. 1. Bibere, vel manducare ultra quam opus eſt, vel neceſſitas patitur, & ultra eam quantitatem, quæ ſufficit victui ordinario; quod peccatum Ezechiel Propheta Sodomorum incolis tribuit: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, ſaturitas panis, & abundantia*. 2. Nimis avide, & præcipitanter comedere, licet communes tantum dapes comedantur; ubi cum Sancto Auguſtino advertendum eſt, nullas adeo delicatas eſſe cupedias, quibus ſobrie uti nequeamus, cum iiſdem pro ſtatus noſtri, aliarumque circumſtantiarum ordine, atque decoro utimur; ſed e contra nullas eſſe adeo e trivio deſumptas, adeoque male conditas, quæ cum intemperantia nequeant manducari, uti Eſau, qui ut lentibus veſceretur, primogenita vendidit. 3. Extra tempus cœnæ, vel prandii ſine cauſa, & ſine neceſſitate comedere. 4. Conquirere vina nimis exquiſita, ac nimis delicata obſonia, uti populus Iſrael mannæ in deſerto pertæſus. 5. Eſcis, poculiſque nimium curæ, & cogitationis impendere, ſæpe de iis loqui, opipara ſe uſus menſa jactare, dolere, & conqueri, ubi fercula non egregie condita ſunt, tamquam ventri inſerviretur, vel in eſca, & potu quædam beatitudinis pars conſtitueretur.

Ezech. 16.
L. 10. Conf. cap. 31.

Injuria, quam nobiſmet inferimus per intemperantiam.

Effectus, quos parit intemperantia, & mala, quæ vulgo vitium hoc conſequuntur, non minus ſuadent, ut vitium hoc cane pejus, & angue evitemus. Hæc autem mala, & effectus, quos experientia paſſim oſtendit, in hoc poſita ſunt, quod 1. intemperantia bonæ efficit valetudini, plurimorumque morborum eſt cauſa: quapropter Eccleſiaſticus inquit: *in multis eſcis erit infirmitas*. Hæc medicorum etiam ſententia eſt, pleroſque morbos ex nimio epularum exceſſu proficiſci. Itaque mirum eſſe non debet, quod tot mortales ſuis doleant infirmitatibus, ubi ſuo concedunt appetitui, quidquid cupit, atque ſtomachum ſuum replent obſoniis, quorum copia cupiditatis, hæc vero morborum eſt cauſa. Merito igitur omnes fatentur, mortem ipſam intemperantia præverti, ac dici ſolet, quod, *plures occidit gula, quam gladius*. 2. Alter vitii hujus effectus eſt, familias evertere, etenim ut lautior ſemper menſa paretur, & quotidie opiparis dapibus, cupediiſque inſtruatur, ut plurimum ſumptibus patrimonia, redituſque ſuperantur; ita ut ſubſtantia ſenſim attrita, & exhauſta in turpem lapſus fiat mendicitatem. Quapropter Sapiens ait: *Qui diligit epulas, in egeſtate erit, Qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur*. 3. Tertius, qui nimis experientia comprobatur, effectus eſt, quod intemperantia vecordem efficit ſpiritum, honeſtioribus occupationibus imparem, minuſque idoneum omnibus vitæ civilis officiis; nam propria quoque negotia contemnit, quæ familiæ nullam ipſo gerente curam, omnia ſuſque deque miſcentur. Hinc ut plurimum hujus farinæ homines, nullam habent exiſtimationem, & tamquam rebus omnibus inepti vulgo contemnuntur.

Eccli. 37.
Prov. 21.

Vitia, quæ ex intemperantia oriuntur, & peccata, quorum illa cauſa eſt.

Fatentur Sancti Patres intemperantiam non ſolum magnum eſſe vitium, ſed longe plurimorum originem, ſeu quod ſuapte natura in hæc illa nos impellat, ſeu hæc ab illa proficiſcantur, ſeu ad illam fovendam hæc maxime proſint. Itaque recenſentur inter capitalia vitia, cujus attulimus ſpecies, quæ a Sancto Thoma poſt Divum Gregorium filii intemperantiæ vocantur; ſed præterea hæc ea ſunt vitia, quæ illam ſubſequuntur, & quorum ipſa eſt cauſa. 1. Vana hilaritas, quæ in ludrica, immodeſtos corporis geſtus, in ſolutiores cachinnos, libera, indecoraque verba ſolet erumpere. 2. Contra proximum joci mordaces, dicteria, obtrectationes, injuriæ, contentiones, quæ nonnumquam ad cædes etiam procedunt, ubi meri calor acceſſerit. 3. Contra Deum juramenta, blaſphemiæ, ac deinde integra oblivio Dei, de quo hic ipſe per Oſeam Prophetam conqueritur. *Adimpleti ſunt, & ſaturati ſunt, & levaverunt cor ſuum, & obliti ſunt mei*. Ad impietatem ipſam proceditur, ſanctiſſima quæque in jocum, ludibriumque vertendo: violantur jejunia, & Eccleſiæ ſtatuta per contemptum, a quo ſcandalum non abhorret, ac denique venter ipſe pro Deo habetur, ut loquitur Sanctus Paulus, vitaque Ethnicorum more traducitur. 4. Contra ſeipſum. Ex intemperantia oritur luxuria, & impudicitia, quæ arctum adeo cum eadem nexum habent, ut Tertulliano luxuria ſine intemperantia monſtri genus videatur. Ex his omnibus Sanctus Thomas infert. licet intemperantia per ſe non ſit ſcelerum omnium graviſſimum; attamen propter mala, quorum vulgo parens eſt, inter graviſſima eſſe recenſendum.

Oſee 13.

Ebrius reus eſt peccatorum quæ in ebrietate committit, cum illa prævidit, ut prævidere debuit.

Nihil hac in re magis apertum, explicitumque poteſt afferri, quam quod Viennenſe Concilium capite decimotertio decrevit. Ebrii quidem neque corporum, neque mentium ſuarum ſunt compotes; at nonnumquam licet ſcelera ignorent, eorumdem rei ſunt, neque hæc ignorantia illos impune abire patitur, quia in cauſa ſua eſt voluntaria: Vox illa *nonnumquam* nequaquam ſignificat ipſos non reos eſſe niſi criminum aliquorum, quæ ab ipſis patrantur: ignorantia non minus pro uno, quam pro altero vitio voluntaria eſt; at ſignificat ſolum eos, qui mero madent, non ſemper ſeſe aliis abdere criminibus, quantumvis rationem reddituri ſint, atque ſupplicio afficiedi propter omnia ſcelera, quibus hoc in ſtatu ſe mancipant, tunc ſaltem cum imbecillitatem ſuam experti ſunt. Sanctus Thomas de illis fert majori cum ſeveritate judicium; credit enim ebrietatem efficere nocentiorem eum, qui hoc in ſtatu aliquid peccat; videlicet, ne ab illius ſententia diſcedam, eum qui ebrietatem prætexeret veluti excuſationem ſcelerum, quæ in eo ſtatu commiſit, ſeipſum longe nocentiorem declaraturum eſſe, quia ſe alterius etiam ſceleris reum fateretur. Et ratio communis eſt, quia ignorantia, & negligentia voluntariæ non ſunt excuſabiles.

2. 2. q. 150. art. 4.

Quid ſentiendum de illo, qui primum inebriatur, nondum vim meri expertus.

Fatendum quidem eſt hominem non eſſe adeo nocentem cum primum de ſanæ mentis uſu dejicitur nimio vini hauſtu, quia nondum vel meri vim, vel capitis ſui imbecillitatem cognovit. Hac de cauſa Sanctus Auguſtinus excuſat Loth ab inceſtu, quem patravit: ſed cum per experientiam non licet amplius homini de alterutro ambigere, nullus dubito quominus illi vitio vertat Deus ebrietatem, & quidquid per ebrietatem peccat, quæ plurimorum eſt Doctorum ſententia. Verum eſt, ajunt, hominem ſui minime compotem, & cui nullum inſania rationi intervallum relinquit, nequaquam noxium fore, ſi in vetitum rueret, quia mala prævidere non potuit, neque in ipſius poteſtate fuit, ſanæ mentis uſum tueri: Sed ganeo cum debuerit, & potuerit rationis ſuæ jacturam non facere, illi vitio vertitur furor, blaſphemiæ, & quidquid impuritatis eo in ſtatu committit.

Intemperantia dedecus affert homini, eumque ad brutorum conditionem redigit.

Nullum turpius vitium eſt, & plus dedecoris affert homini, quam intemperantia, quandoquidem hæc illam non ſolum uſque ad brutorum conditionem dejicit, verum etiam quodammodo infra eamdem demittit; Etenim jugi experientia didicimus ex omnibus animantibus unum hominem huic mancipatum vitio abuti bonis, quæ ſibi in corporis alimentum a Deo fuerant conceſſa. Videmus bruta, quæ magis ſtupida ſunt, hac in re plus moderationis, quam eumdem habere, neque ullam eſſe creaturam hujus noxæ ream, præter hominem intemperantem, quemadmodum loquitur Sanctus Auguſtinus: *Nulla creatura eſt culpabilis, ſed ſola hominis inordinata voracitas*. Ipſa etiam docet natura, nos nequaquam vivere, ut edamus, ſed edere, ut vivamus; & finem, ac præcipuum vitæ ſuæ negotium in hac victus comparandi cura collocare eſt ordinem a Deo inſtitutum prævertere, ac ſe indignum vita præbere.

Auguſt. in Joann. 77.

Intemperantiam contraria virtus coercere debet.

Quemadmodum nulla virtus eſt, quæ ad vitium aliquod evertendum conſtituta non ſit, ex temperantiæ eſſentia, & officiis videtur, hujus præſertim eſſe in nobis gulæ exceſſum reprimere, & quemadmodum primus vitii hujus exceſſus eſt pluribus ſe ingurgitare cibis quam neceſſitas poſtulat, ita ad brutale hoc vitium reprimendum ratio potiſſima, quam nobis ſuggerat temperantia, ſobrietas eſt, quæ naturæ indigenti id tribuere novit, quod ad vitam, & corporis valetudinem eſt neceſſarium, atque edacitati negare ea, quæ voluptati tantummodo indulgent. Alterum temperantiæ munus eſt ſenſuum appetitui ſuperfluas negare delicias, quas ſemper ad voluptatem, non ad neceſſitatem gula requirit. Itaque virtus hæc eſcam, cibumque noſtrum regere debet juxta Sapientis conſilium dicentis, *utere quaſi homo frugi his, quæ tibi apponuntur*.

Eccli. 7.

Intemperantia ſeducit.

Nihil verſutius nos ſeducere poteſt quam intemperan-

perantia, & ex omnibus tentationibus hæc illa eſt, qua facilius ſuperamur. Deum quidem lædere nollemus, ſed fines illi, quibus naturæ neceſſitates a voluptatum illecebris ſejunguntur, adeo breves ſunt, ut plurimi viri boni nonnumquam ſe vitii hujus laqueis irretitos intelligant, quin illos præviderint, quemadmodum Sanctus Auguſtinus teſtatur de iis loquens, quæ ſibi contigerant.

L. 10. Conf. cap. 14.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, ac Recentioribus Concionatoribus loci hujus Argumenti.

Oppoſitio intemperantiæ cum ſobrietate, & abſtinentia.

FAcile patet, intemperantiæ plures effectus eſſe ſobrietati, & abſtinentiæ contrarios, ſi altera dæmonem ejicit, ut Scriptura teſtatur, altera illi apertum aditum pandit; ſi altera animam expiat, & illuſtrat, altera illam indurat, & excæcat: ſi altera nos Salvatori ſanctiſſimiſque cum veteris, tum novi teſtamenti viris ſimiles facit, altera nos brutis, ac dæmonibus æquat. Denique ſicuti ſobrietas, & abſtinentia chriſtianas virtutes multiplicant, eaſque in anima ſervant; gula, atque intemperantia ibi gignunt vitia, eiſque funeſtam tribuunt perennitatem. Inde jurgia, contentiones, injuriæ, imprecationes, furores, blaſphemiæ; inde ſacrilegia, ſanctiſſimarum rerum prophanationes, nequiſſima verba, ſingularia certamina, & cædes, furta, & injuſtitiæ. Si familias arctiſſimo conjunctas vinculo diſſidia diſſociant; Si Chriſtiana Religio irriſionibus impetitur, ſi Dei nomen blaſphemiis proſcinditur, ſi omnia humanitatis, & amicitiæ jura violantur, inter malorum omnium potiſſimas cauſas ebrietas eſt, quæ homines huic vitio deditos in illa compellit. *Ex Specimine ſermonum pro Dominica ſexta poſt Pentecoſten.*

Intemperantia hominem facit brutis ſimillimum.

Vulgo intemperans brutis ſimile dicitur, & hæc una cogitatio nos continere deberet intra eam moderationem, quam ratio ſuadet; ſed (quæ hodie vulgatiſſima eſt vivendi conſuetudo) optandum eſſet, ut homines brutorum more viverent: bruta enim naturalem quemdam modum ſervant, qui efficit, ut eorum, quæ neceſſaria ſibi ſunt, contenta minime decidant in ea flagitia, quibus ſe mancipant homines, qui cum rationis compotes ſint, omni prorſus modo carent, atque iis ſunt criminibus obnoxii, quibus bruta ipſa paria minime ſunt. *Idem.*

Quid de alimentorũ uſu natura nos doceat.

Profecto ſi rationi aurem præbere velimus, tot lumina, quæ ſequamur, ſuppeditabit nobis, ut nolentes numquam errare poſſimus. Hæc nos docebit non ideo vivendum, ut manducemus, ſed manducandum, ut vivamus: hoc eſt cibum nobis a Deo fuiſſe conceſſum, ut vitam ſervaremus, & a nobis hac mente, & hoc fine eſſe adhibendum. Decet, quamquam vitæ, & valetudinis cura ſit nobis diligenter habenda, dapibus tamen, quarum ope illa ſervatur, parce, & ea menſura utendum eſſe, ut ſi vitæ, & valetudini noſtræ modico cibo conſulere poſſemus, exceſſus exiſtimandus ſit, largius illis indulgere, Aſſerit Sanctus Auguſtinus ſe a Deo hoc didiciſſe præceptum cibis eodem pacto, atque pharmacis utendum eſſe, quippe inſtituti ſunt ad repellendam famem, quæ verus eſt morbus, qui mortem nobis poteſt inferre. *Auctor Anonymus.*

In menſa præſertim hominis ingenium, & virtus dignoſcitur.

Nulla eſt occaſio, nulluſque locus, ubi homo ſe melius prodat, quam in menſa; ideoque nullus, ubi de eodem tutius, veriuſque feratur, judicium. Quantum ibi urbanitas habetur in pretio, tantum ibi ruſticitas deprehenditur, atque contemnitur. Actio hæc, ut ita dicam, cujuslibet exiſtimationi officit; nam minus diſſimulate agitur, ac omnia nos ſollicitant, ut noſmet tales, quales ſumus oſtendamus. Hilaritas, quæ ut plurimum comes eſt opiparæ menſæ, efficit, ut libere agamus; cor quod ſeſe explicat, extrinſecus omnes cogitationes noſtras expandit; ingenium noſtrum ſine ulla diſſimulatione ibi ſe profert; ſenſus, & affectiones, quas prudentia in animi noſtri receſſu abdiderat, nobis nonnumquam adeo parum verecunde, ac tanta cum libertate elabuntur, ut quot verba proferimus, tot nobis inimicitias conflemus. Illic æquus, aut lævus hominis conceptus imbuitur; illic de illius urbanitate, aut ruſticitate judicium fertur; atque de illius ingenio, & captu in ſcientiis, atque negotiis, prout ſermones inſtituti fuerint, judicatur; & ut verbo me expediam, ibi de bonis, praviſque ejuſdem qualitatibus conceptus adſtruitur. *Ex tomo 2. Familiæ Sanctæ P. Corderii cap. 3. §. 3.*

Abuſus, & Profuſio, quæ in conviviis invaluit.

Injuria damnaret aliquis uſum conviviorum, quæ in Scripturis probantur, quæ a charitate præcipiuntur, & quæ temporum, populorumque omnium conſuetudine invaluerunt ad familiarum, aliarumque ſocietatum concordiam fovendam. Sed præterquamquod uſus hic, ut licitus, & commendabilis ſit, non omnium debet eſſe dierum, ſed quorumdam tantummodo occaſionum, quas urbanitas, & conſuetudo præſcribit; adhæc neceſſarium eſt in illis æquum ſervari modum, ita ut ſi illic effulgeat liberalitas, intemperantiæ tamen omnino ſit interdictum: Hodierna tamen die eo uſque ventum eſt, ut cum menſa ad amicos convivio excipiendos paratur, tot undequaque dapes, & obſonia comparentur, quaſi non ſemel tantum convivium inſtruendum eſſet, & convivis neceſſitas injiceretur ultra modum, & fas ſeſe epulis ingurgitandi, omneſque ſobrietatis leges infringendi. Ad guſtum alliciendum ſexcenti adhibentur mortales, qui maria, & nemora depopulentur. Ipſa etiam anni tempora præveruntur, ac ſubvertuntur, ut tellus præcoces ferat fructus, & legumina, quæ ideo ſapida ſunt, quia chariſſimo væneunt pretio, quæ nauſeam cient, cum larga eorum eſt copia, ac omnes iiſdem veſcuntur. Gulæ, & appetitus irritandi ars inſtituta eſt, & nunc plures pro gula excogitatæ ſunt adinventiones, quam pro reliquis rebus, quæ ſunt ad victum neceſſariæ. Quid autem, quæſo, de hujuſmodi exceſſu ſentiendum eſt, niſi intemperantiam præ vitiis omnibus unam late hodierna die in mundo graſſari? Quo nomine appellem has menſas adeo opipare inſtructas, has dapes, hæc media conviviorum fercula, hæc varia condimenta, has cupedias, has multiplices, ac tanta arte, methodoque conditas, inſtructaſque lances? Hi ſane tot ſunt laquei poſiti temperantiæ, tot ad illam fallendam inſidiæ, tot ad cupiditatem irritandam illecebræ. Hi ſumptus, hæ deliciæ, hæc profuſio, hic exceſſus, probari ne poſſunt ea in Religione, quæ Ethnicorum menſas evertit, quæ mortificationem præcipit, quæ etiam, atque etiam commendat abſtinentiam, ſobrietatem, & contemptum earum rerum omnium, quæ luxum ſapiunt, immodicoſque ſumptus requirunt? Profecto ſi compararetur hodie, quid inter Fideles nunc temporis fieri ſolet, quis credat hujus temporis menſas ab effuſiſſimis Ethnicorum conviviis abhorrere? Illorum hac in re effuſa libido nonne eo nocentior, atque ſolutior eſt, quo magis in epularum condimentis cupediarumque inventionibus laboratum eſt, atque ab extremis terrarum oris accerſitæ deliciæ, quæ olim æque ignotæ erant, ac regiones, ex quibus advehuntur, & quo magis ars, quæ res omnes perficit, numquam majorem navavit operam, ut gulæ, atque edacitati blandiretur? *Ex variis Auctoribus collectum.*

In ipſis etiam conviviis ſervanda eſt temperantia.

Quid autem! dicet aliquis, numquid proſcribendus eſt conviviorum uſus adeo ſapienter inſtitutus, hac de cauſa, quia plures illis abutuntur, ac in illis eos committunt exceſſus, qui damnantur ab omnibus? Haud ita, Fideles; convivia non damno, nimis frequentem uſum illorum non probo, & eam redarguo intemperantiam, in quam ſub honeſtæ, licitæque hilaritatis prætextu ſeſe mortales effundunt. Quid ſi ſtatus veſter, ac dignitas non ſinunt, ut aliquando ab illis voſmet diſpenſetis, ſervate in illis ordinem, modum, honeſtatem, ac temperantiam, quam ibi ſervandam veteres ipſi præſcribunt. Memonte vos homines eſſe, & Chriſtianos, quatenus hominibus natura vobis ſobrietatem commendat, quatenus Chriſtianis hoc vobis præcipit gratia. Præſertim vero ne in illud vitium incidatis, quod aliquot ab hinc annis nationi noſtræ infamiæ notam inuſſit, & quod ex alienigenarum commercio contraximus; hoc in turpi bibendi certamine conſiſtit, in quo palmam referre poteſt vel abjectiſſimus quilibet ex ganeis, atque popinis, & ſpectatiſſimum, honeſtiſſimumque e civitate virum ſuperare. Conſuetudinis hujus origo innocens fortaſſe fuit eo tempore, quo innocentia, & virtus celebrabantur, & S. Baſilius teſtis eſt tunc temporis conſtitutos fuiſſe conviviorum judices, atque Arbitros, quorum erat præſcribere quouſque procedendum eſſet, ut pretium alicui adjudicaretur. Hodie vero non

non alii huic certamini judices præſunt, præter ipſam intemperantiam, quapropter ea accidunt mala, quæ rubore ſuffundere deberent eos, quibus vel tantillum religionis, & probitatis eſt, & quæ ego quoque referens perhorreſcerem. *Pater Grizel in Adventu, Sermone de intemperantia.*

Difficile ſervatur temperantia cum opiparæ accumbimus menſæ.

Cum menſa onuſta gemit exquiſitiſſimis dapibus, exoticiſque liquoribus referta, ibi concupiſcentia inflammatur, extinguitur ratio, & homo rationis compos ad brutorum naturam redigitur, Hoc nihilominus honeſtum dicitur convivium, ac bene inſtructa menſa vocatur. Illic excæcamur, ne officia noſtra internoſcamus; & videmus temperantiam, quam tantopere commendat Evangelium, & diebus quibuſdam præcipit Eccleſia, parem non eſſe gulæ frænandæ, & ingentem ferculorum, atque liquorum copiam vim concupiſcentiæ noſtræ ſatisfacere poſſe. *Sermo Manuſcriptus.*

Intemperantia dæmonem contra nos roborat.

Domeſticum habemus inimicum, noſtrum videlicet corpus, quod naturalibus ſtudiis, & affectionibus, quibus in malum impellimur, ſtipatum eſt. Dæmon nos extrinſecus laceſſit omnibus uſus artibus, quæ vel deſiderio, vel metu nos in errorem poſſunt inducere. At tantum abeſt a nobis infirmari corpus, a quo huic ſalutis noſtræ inimico arma ſuppeditantur, quod illud e contra roboramus contra noſmet noſtra intemperantia, nos illi arma ſuggerimus, delicatas videlicet dapes, quibus nutrimur: *Tu das ſtimulos carni tuæ*, Sanctus Cyrillus Alexandrinus ait, *tu eam adverſus ſpiritum tuum armas, & potentem facis, cum eam carnibus ſatias, & ad omnes illecebras nutris.* Ergo certiſſime ſuperabimur cedentes conatibus inimici, quem ipſi roboramus iis epulis, quas corpori noſtro largius tribuimus. *Maimbourg. Sermone pro prima Dominica Quadrageſimæ.*

Cyrill. lib. 9. in Lev.

Intemperantiæ dediti vel alteram non credunt vitam, vel ad eam animum non advertunt.

Qui fidei lumine illuſtratus alteram vitam, atque animæ immortalitatem credit, ob neceſſitatem, non ob voluptatem veſcitur; & bellua, quæ ſpe caret, & quæ corpoream tantummodo vitam habet, e contra ex mera veſcitur voluptate: ita ut intemperantia ſit belluarum propria, quia ſunt morituræ; hominis vero propria ſobrietas ſit, quia mori non debet, niſi ut deinde vivat in æternum. Quamobrem Sanctus Auguſtinus animadvertit impios illos qui in libro Sapientiæ dicunt, bibamus, & manducemus, coronemus nos roſis antequam marceſcant, ubique intemperantiæ noſtræ veſtigia relinquamus, illos inquam impios; ideo turpibus, ac belluinis hujuſmodi ſenſibus repletos fuiſſe, quia ſententiam de animæ immortalitate, ac alterius vitæ memoriam in ſeipſis extinxerant. *Auctor Sermonum Chriſtianorum Tomo 1. Sermone de Bacchanalium crapulis.*

Intemperantia omnium malorum cauſa; ſententia S. Baſilii hac in re.

Intemperantia radix eſt malorum omnium; exquiſitæ dapes, quibus voſmet ingurgitatis, iterant catenas veſtras, carcerem veſtrum reparant, ac hoſtibus veſtris vires adjiciunt. Non poteſtis bibere, aut comedere, quin roboretis infidelem ſervum qui ſuæ concupiſcentiæ flammam nutrit eodem alimento, quod illi ſuppeditatis, & cui idem vinum, quo ſitis extinguitur, ſæpe materia eſt incendii, quod vix poteſt extingui. Hinc Sanctus Baſilius crapulam vocat concupiſcentiæ fontem, & ait illis, qui virtutes, & præcipue puritatem ſervare volunt, ante omnia reprimendam eſſe oris incontinentiam, ex qua, tamquam venenato fonte, omnia vitia dimanant. *Idem Tomo 2. Sermonem pro prima Quadrageſimæ Dominica.*

S. Baſil. lib. de Virgin.

Quam turpe & homine indignum vitium ſit intemperantia.

Intemperantia, de qua verba facimus, inordinatus eſt, & immodicus uſus alimentorum, quæ Deus nobis in corporum noſtrorum nutrimentum, vitæque noſtræ conſervationem tradidit. Hinc fit, quod illis, qui huic indulgent vitio, non ſufficiunt ea, quæ ad eos alendos, ſaturandamque eorum famem ſufficiunt; ſed cibo, potuque contra explicitum Jeſu Chriſti monitum ſe replent, dicentis: *Attendite vobis, ne forte graventur corda veſtra, in crapula, & ebrietate.* Quod oſtendit nullum turpius eſſe vitium illo, quod homines non ſolum ad brutorum conditionem redigit, ſed etiam infra eamdem quadam ratione demittit, quod intemperantia præſtat in illis, qui ſeſe eidem mancipaverunt. Vitii hujus brutalitas nequit turpior eſſe, cum efficiat, ut homines qui virtute præditi eſſe deberent, ac ratione ſua uti, minus modum ſervent, quam domeſtica ipſorum animantia. Illos enim ita vecordes reddit, ut longe majorem corporis ſui, quam animæ rationem habeant, atque moribus oſtendant ſuis, ſe vix credere, quod ſibi anima inſit. Hæc efficit, ut obliviſcantur Dei, atque in eo cogitationes omnes impendant, ut abdomini ſerviant; efficit, ut honeſtos homines, tamquam incommodos ſibi fugiant ganearum ſuarum ſocios quæſituri, efficit, ut ſi quid bonæ exiſtimationis apud aliquot cordatos viros habebant, illius jacturam faciant, eoſque ita miſeros conſtituit, ut nonniſi tamquam homines in belluas immutati conſiderentur. Per hanc illi omnia bona ſua in opiparis conviviis obliguriunt, atque ut plurimum in adeo turpem egeſtatem rediguntur, ut nemo eorum miſereatur. Denique hæc intemperantia ita illos vecordes reddit, ut nequaquam intelligant animæ, & ſalutis, bonorum, valetudinis, ſpiritus, & exiſtimationis detrimenta. *Liber, cui titulus: Bellum vitiis, prælio 10.*

Luc. 21.

Intemperantia eſt contra rationem.

Neceſſitas, & ratio norma eſſe debent potus, & cibi, ſed a neceſſario gradus fit ad ſuperfluum, & a ſuperfluo ad exceſſum. Rationis limites prætergrediuntur; ac ſæpe cibo, potuque utuntur homines ad rationem ipſam vel infirmandam, vel amittendam, & per ea quæ ad corporum vitam alendam facta ſunt, animæ procurant excidium. Quæ perturbatio! Ratio hominem cohibere deberet; attamen unus homo, qui poſſidet illam, eam aſpernatur: brutum vero, quod ratione deſtitutum eſt, neceſſitatis fines non tranſilit. *Pater Nepveu. Tomo 2. Moralium Conſiderationum.*

Quænam indignitas eſt intemperantiæ indulgere.

Intemperantiæ indulgere, ex Apoſtoli ſententia, idem eſt ac ex ventre Deum ſibi efficere. Quod numen! attamen homines non rationis tantum participes, ſed Chriſtiani illi quotidie non bona ſolum & valetudinem, verum etiam rationem, conſcientiam, & ſalutem ſacrificant. Infelices imitatores intemperantiæ Eſau, qui pro modico lentium edulio ſua primogenita vendidit! Poſt hæc, quis dubitare poteſt; utrum Chriſtianus, quem vitæ ratio cogit, ut vivat non ſolum quatenus homo, videlicet ſecundum rationis regulas; verum etiam quatenus Jeſu Chriſti Diſcipulus, non teneatur hoc horrere vitium, ac totis viribus eidem reſiſtere, quandoquidem hoc in ipſum tot mala detorquet, ac adfert illi non corporis tantum, verum animæ etiam interitum, quam ſubdit ſæviſſimorum inimicorum ejus imperio? *Idem ex parte.*

Finis, quem intemperantes homines ſibi proponunt.

Rationis compotes homines comedunt, ut ſuum reficiant, & roborent corpus, ne illius infirmitas ſeſe ſpiritui quoque communicet; ſed qui ſe mancipant intemperantiæ, eouſque ſe dapibus ingurgitant, donec ſpiritum obruant, & corpus evertant. Comedunt, ut comedant; homines ſunt quorum corpora ſpiritui non parent; cumque Sancti viri conquerantur, quod corpus ſpiritui nimis grave, moleſtumque ſit, iſti hac ſpirituali anima deſtituti eſſe vellent, luminibus ſuis belluinas perturbantes voluptates, quæ ab illis quæruntur. Non comedunt ut vivant, nihil enim valetudini magis contrarium eſt, quam hæc juſcula, ſalſamenta, cupediæ, dapum varietas: nihilque vitæ producendæ, neque ab omnibus præſervandæ morbis aptius eſt, quam menſa frugi, & parcius inſtructa. Numquid corporum noſtrorum ſumus mancipia; & inexplebili huic animali omnia ſacrificanda ſunt? Alimentis eodem pacto, quo pharmacis utendum eſt; neceſſitas regere debet ſtudium illud, quo famis incommodum noſmet liberare contendimus, non autem concupiſcentia, quæ inſidias nobis ſtruit in voluptate, quæ tamquam famulus herum ſuum ſequitur oblectamentum illud, quod in eſculentis, & poculentis inquirimus. Itaque pro una hac voluptate id facimus, quod pro neceſſitate faciendum eſſet. Hinc fit, ut noſmet ipſos fallere quæramus, nobis perſuadentes id valetudini deberi quod impendimus voluptati. *Pater de la Colombiere in Chriſtianis Conſiderationibus.*

Pauci non capiuntur voluptate, quæ in epulis percipitur.

Fatendum eſt gulam adeo generale peccatum eſſe, us pauci ſint ex iis etiam, qui frugi vivunt, & ſanctiores habentur, qui non aliquando laqueis ejuſdem capiantur. Adeo facile eſt ab eo quod neceſſarium, ad id, quod ſuperfluum eſt, gradum facere, & ex mera voluptate id efficere, quod propter vitæ neceſſitatem efficiendum eſt, ut qui majori auſteritatis laude excelluerunt, Sancti metuerint, ne hac in re ſeipſos deciperent. Hoc in confeſſionibus ſuis Sanctus Auguſtinus deplorat: Quotidie, ait, mihi præliandum eſt cum hujuſmodi tentationibus; ſcio alimenta veluti pharmaca a me eſſe accipienda; at ubi naturæ illud, quo indiget, tribuo, tunc mihi laqueos tendit cupiditas. Ita qui neque manducare, neque bibere deberem niſi valetudinis ergo, voluptas, quam hac in re invenio, mihi adverſatur, & per voluptatem id facio, quod ad virium reparationem dumtaxat efficere puto. *De*

la Font in Continuatione Eccleſiaſticorum Sermonum pro prima Quadrageſimæ Dominica.

Mala, quibus obnoxius eſt homo ebrioſus,

Si homines adhuc rationem ſequerentur ducem, ſatis eſſet illis ob oculos ponere intemperantiæ mala, ut tantum hoc vitium perhorreſcerent. Quid enim mali efficere nequit qui incaluit mero? quem omnium in ſe contemptum ciet? quam ſibi vult demandari provinciam? Sed quæ ſcelera non committit? Homo ebrietati deditus, Sanctus Baſilius ait, mendax eſt, blaſphemus, crudelis, inconſtans, pertinax, audax, incertus conſilii, præceps, obſcenus, furens, ac teterrimis quibuslibet flagitiis par, Amicorum ſecreta in apricum proferet, dejerabit &c. *Auctor Anonymus.*

De conviviorum deliciis, & luxu,

Quin loquamur de impudicitia, cujus cauſa eſt intemperantia, ajo, ipſas conviviorum delicias, ac ſumptus fere numquam culpa vacare. Cur hoc? quia natura parvo contenta, ſæpe dapum copia prægravatur; quia valetudini officiunt juſculorum condimenta, ad famem excitandam, ac fovendam intemperantiam inventa; quia convivium, quo aliquis excipitur, ſæpe ſcandalum eſt convivæ, obligatio vicem referendi, & fraternæ ſobrietatis tentatio. Tunc æmulatione certatur, ac ſæpe ex vanitate potius, quam animi grati ſenſu ea fiunt, quæ vires noſtras excedunt: quia denique difficilibus ſaltem temporibus deliciæ exulare debent, & quia charitati ſurripitur, quidquid impenditur voluptati. *Sermo Manuſcriptus Patris Franciſci Catrou.*

Intemperantia in omnia vitiorum genera impellit,

Intemperantia heu! adeo communis apud mortales; brutale, & inexplebile hoc numen, quod hominem ſtupidum, ac dementem facit, quod pro libidine anni tempora invertit, atque ipſa quoque elementa ſibi efficit vectigalia. Et ſane quid eſt intemperantia? Cupiditas eſt, quæ hominem in omne flagitiorum genus protrubare poteſt, efficiens, ut ſua ignoret, & contemnat officia. Hæc viam aperit furto, injuſtitiæ, impudiciciæ. Ibi læditur charitas, ſpes oblivioni datur, ac fides tuta non eſt: etenim nonne inter ſcyphos, & pocula Iſraelitæ Vitulum aureum conflarunt? Nonne infame hoc vitium cauſa fuit, propter quam Victores victi prælio fuere, ac innumerabiles copiæ ſomno, vinoque ſepultæ occidione fuerunt deletæ? Reſpicite carnivorum corvum, qui, quin, ut columba, revertatur in arcam, tabeſcentibus inhæret corporibus; hæc præclara imago eſt hominis, quem gula in terræ hujus epulis detinet, prohibentibus, ne corde, & cogitatione ſe ad cœlum attollat. *Auctor Anonymus.*

Mala, quæ intemperantia parit in homine. *Eccli. 37.*

Intemperantia mortem noſtram accelerat, quemadmodum his verbis Sacer Textus affirmat: *Propter crapulam multi obierunt: qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam.* Efficit homines duros erga proximorum ærumnas; quod Amos Propheta teſtatur: *Bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph.* *Amos 6.* Hujus rei nobis ſuppetit exemplum in malo divite, de quo in Evangelio ſermo eſt, qui quotidie opipara utens menſa, ac præ foribus videns Lazarum fame intereuntem, ipſa quoque menſæ analecta eidem negabat. Denique ſi D. Chryſoſtomo credimus, nihil turpius eſt intemperantia: hæc vim mentis extinguit, animam prorſus carnalem efficit, hominem ita excæcat, ut nullum habeat ultra lumen atque conſilium. Adhæc nonne litium, & blaſphemiarum eſt cauſa? Verbo, quemadmodum omnis concupiſcentia, S. Iſidorus ait, per abſtinentiam infirmatur; virtutes omnes e contra per intemperantiam delentur. *Pean in ſpiritu Chriſtianiſmi Sermone 6.*

Intemperantiam devotionis defectus, & impietas, ut plurimum, concomitantur,

Vitium, quod fere ſemper intemperantiam ſubſequitur, eſt irreligio, & earum rerum, quæ ad Deum, & ſalutem pertinent, negligentia. Et ſane quem pietatis, & religionis ſenſum concipere poteſt, qui ſuo tantum indulget abdomini, atque inordinatæ cupiditati ſuæ ſatisfacere quærit? Si ullum peccatum ſecum gerit reprobationis caracterem, hoc intemperantiam eſſe, dicere poſſumus, quæ ſenſim in Atheiſmum inducit. Blaſphemiæ, & impietates, quæ in ganeonibus vulgatiſſimæ ſunt, ſpecimina tantum, atque veſtigia prima ſunt, quæ ad extremum hoc ſcelus inducunt, in quod illi tandem labuntur. Omnino amittenda eſt Dei fides, ut Deum nobis ex ventre efficiamus, uti Apoſtolus loquitur, & hæc duo ſimul eſſe non poſſunt, fidem habere, & ſuum corpus palpare. Ita fieri ut plurimum conſuevit, quod in caracteris hujus hominibus ſemper aliquod verbum audiatur, quo ſanctiſſima Eccleſiæ inſtituta, & ſæpe etiam auguſtiſſima Religionis Myſteria in jocum, ac ludibrium vertunt, atque ita vitam in duplici licentia fidei, morumque traducunt. Verum eſto, ſi tempus, anorumque lapſus aliquod remedium, vel moderationem afferret; ſi poſtquam male vixerunt, bene mori poſſent; Sed hujus farinæ mortales plerumque in reprobum decidunt ſenſum, atque flagitioſiſſima vita finali impœnitentia obſignatur. Nam præterquamquod habitus iſte cum jam in naturam migraverit, nonniſi cum vita relinquitur; videmus illos vel eo in ſtatu eſſe, qui omnem illis arripit cognitionem, & metum eorum, quæ mortem ſunt conſecutura, vel in ſtupiditate, quam ipſorum parit intemperantia, quæ non patitur illos de ſalute ſua cogitare. *Auctor Anonymus.*

Per intemperantiam res familiaris diſſipatur.

Chriſtianus tenetur bona ſua in ſumptus inſanos nequaquam prodigere; ſed illis parcius uti pro familiæ victu; & ambigi nefas eſt, quominus crimen ſit in ganeis, & comeſſationibus, de quibus loquitur Sanctus Paulus, illa diſſipare: *Non in comeſſationibus, & ebrietatibus.* *Ad Rom. 13.* At immodicus vini uſus præter intemperantiæ ſcelus, quod turpiſſimus, & nequiſſimus illius actus eſt, diſſipat fortunæ bona, quæ prudenti œconomia ſervari Dominus jubet. Hoc nos docet Spiritus Sanctus per os Sapientis: *Qui diligit epulas, in egeſtate erit; qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur.* *Prov. 21.* At veritatis hujus nonne apertiſſimum nobis ſuppetit argumentum in filio prodigo, de quo in Evangelio ſermo eſt? Petit ille, atque importunitate ſua obtinet partem, quam in paternorum bonorum diviſione ſperare poterat. *Da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit.* *Luc. 15.* Hanc illi pater conceſſit; at brevi in luſtris, & ganeis diſſipata fuit, ita ut quo egeſtatis redactus fuerit, neminem fallat, Quot adoleſcentulos quotidie videmus, quibus parentes ingentia reliquerunt bona, ſeſe effuſiori tradere intemperantiæ, ac tandem ad triſtiſſimam redigi mendicitatem? Sed hæc mala minus adhuc ferenda ſunt in illis, qui magnam ducunt familiam, & quibus non alia ſuppetunt bona præter ea, quæ labore manuum ſuarum ſibi poſſunt comparare. Occurrent vobis artifices, aliique id genus homines, uno die feſto quidquid per hebdomadam lucrati fuerint, diſſipantes. Hoc S. Ambroſius inquit: *Una die bibunt multorum dierum labores. Auctor Anonymus.*

Ebrietas, & vini exceſſus valetudini officiunt.

Ebrietas corporis valetudinem evertit: *Noxia res eſt ſaluti corporis ebrietas.* S. Ambroſius inquit. Fons dolorum, incommodorum, morborumque graviſſimorum. *Quomodo enim*, Sanctus Baſilius ait, *corpus multa plenum potatione, ſanum poterit exiſtere?* Hoc profecto fieri non poteſt. Detur mihi, idem ſubdit, robuſtiſſimus homo, cujus validiſſimum ſit temperamentum; ſi ſe vino, & ebrietati mancipaverit, brevi fiet plurimorum præda morborum: *Brevi tempore multorum evadet præda malorum.* Adde tandem ebrietatem imminuere vitæ dies, & efficere, ut illi, qui robuſtiſſimi ſunt, ac bene valentes, vires amittant. Hac de cauſa a Tertulliano vocatur: *Senectus immatura, mors momentanea*, quam, qui vino indulgent, ultro ſibimet inferunt. Sed multo ante Spiritus Sanctus jam dixerat: *Propter crapulam multi obierunt. Idem.* *Eccli. 37.*

Ebrietas magnum eſt peccatum.

Ebrietas natura ſua, Doctores ajunt, mortale peccatum eſt, quod ſimul gratiæ ac rationis adfert jacturam; ideoque a Sancto Auguſtino vocatur: *Grande peccatum criminis portentum*; etenim inſignis ſtupiditas eſt, ac brutalis cæcitas vendere, ut olim Eſau, primogenita, Cœleſtem hæreditatem, ſpem æternæ felicitatis pro aliquot meri calicibus, quemadmodum inſanus ille adoleſcens vendidit jura ſua, quæ ad paterna habebat bona, pro lentium edulio, ut inordinato ſatisfaceret appetitui: Sed Sanctus Paulus hoc palam declarat, ac ebrietatis vitium inter ea numerat, quæ ad cœleſtem beatitudinem aditum obſtruunt. *Nolite errare*, inquit, neque vobiſmet blandimini, quaſi hæc levis eſſet culpa: *Ebrioſi regnum Dei non poſſidebunt.* *1. ad Cor. 6.* Dixerat ille alia in occaſione, Regnum hoc, & felicitatem nobis ibi paratam nequaquam in eſculentis, & poculentis conſiſtere: *Regnum Dei non eſt eſca, & potus*: *Ad Rom. 14.* Et ganeonibus abdomini ſuo natis, intemperantiæ mancipiis nullam hoc in regno partem eſſe ſperandam.

Ebrietas ad impuritatem, & luxuriam via eſt.

Ebrietas fons eſt plurimorum criminum, inter quæ magis commune, & vulgatum eſt impudicitia: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Cavete, Apoſtolus inquit, ne intemperantius voſmet proluatis mero, hoc enim certiſſime infame impuritatis vitium accendit. *Ad Eph. 5.* Quapropter S. Hieronymus ait, eum, qui ſemper mero madet, in turpiſſima quæque pronum eſſe flagitia: *Venter mero æſtuans, deſpumat in libidinem*; & veritatem hanc Lothi exem-

exemplo confirmat: *Quem Sodoma non vicit, vina vicerunt.* Quid magis mirum, quam videre virum qui in medio Sodomorum ſuam ſervaverat integritatem, ubi ſemel paulo nimium vini haurit, ſtatim horribilem inceſtum committere? *Idem.*

S. Chryſoſtomi judicium de helluonibus, & ebrioſis.

Homo vino deditus, Sanctus Chryſoſtomus ait, nulli eſt utilis rei. Cui enim utilis eſſe poteſt citra periculum omnia corrumpendi? Illene poterit ſecretum ſervare? Heu! duo, vel tres vini calices, ut quidam vetus ait, quidquid in corde ejus latet, proferent in apricum. Quomodo illi momenti alicujus negotium committi poterit? Nequaquam: Sanctus hic Doctor ait, homo iſte rebus omnibus eſt inutilis, miſer eſt, negligendus, & qui ne meretur quidem, ut de eo aliquis cogitet: *Ebrioſus ad omnia negotia ineptus* . . . Hic idem Pater apertiſsimis verbis, atque horrorem cientibus vitii hujus turpitudinem, infamiamque deſcribit: *Quid ebrio turpius exclamat?* Fingine poteſt aliquid fœdius homine actu ebrio? *Ridiculus eſt famulis, ridiculus hoſtibus, miſerabilis apud amicos, omnium deteſtatione dignus. Idem.*

Cauſæ propter quas homines hujuſmodi metuere debent de juſtitia Dei.

Infelices, ſi qui hic adeſtis, huic dediti vitio: audite ea, quæ Dei juſſu vobis dicit Propheta Joel: *Expergiſcimini ebrii, & flete, & ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine.* Conſurgite, oculos cæcitati veſtræ aperite, expergiſcimini de ſomno ad terribiles Dei minas; effundite lacrymas, ſuſpiria emittite, ut divinam flectatis juſtitiam, quæ jamjam liberatura eſt terrarum orbem pondere non inutili ſolum, ſed mortalibus omnibus moleſto. Quin rationem mero ſubmergatis, illam curis magis ſeriis adjicite, ut evitetis malum capiti veſtro imminens, ut vitam homine, & Chriſtiano magis dignam ducatis: abjicite habitum, qui vos indignos efficit, qui in hac mundi luce verſemini. Deteſtamini hoc vitium, quod in vos omnium odia, & contemptum convertit; fugite ſocios, qui in hujuſmodi indigniſſimas crapulas detrahunt, propter quas ſimul honoris, valetudinis, vitæque animæ, & corporis jacturam facitis, mox æternam damnationem ſubituri. *Idem.*

Maledictiones, quas Scriptura in id genus mortales ejaculatur. *Iſaiæ 5.*

Væ, qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam, Iſaias inquit. Homines hujuſmodi non alium habere Deum, niſi ventrem S. Paulus aſſirmat, quod idem eſt ac ſi diceret, illos non ſolum idololatras eſſe, verum etiam ſeipſos tamquam Deos colere, neque alium habere finem, quam corpus ſuum palpandi, ac illud idolum ſuum efficiendi. Id vero genus hominum infelicitas talis eſt, ut Apoſtolus collacrymetur cæcitatem eorum, & eam, in qua verſantur, calamitatem, veluti divinæ ultionis victimæ: *Ad Phil. 3.* *Nunc autem, & flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, & gloria in confuſione ipſorum. Idem.*

Quem ſibi finem propoſuerit Deus ſuppeditans hominibus varia alimenta.

Divina bonitas nimis late effuſa eſt, quam ut illi ſufficiat noſtras prævertere incomprehenſibili hac ciborum copia neceſſitates; cibos quidem noſtræ infirmitati, noſtriſque neceſſitatibus potius quam voluptati præparat, quandoquidem ad vitam alendam adeo parum requiritur; verum in cibis iiſdem quotidianas virtutum exercendarum occaſiones ſuppeditat, cum quibus iiſdem ſecundum illius imperia uti debemus. Vult illa, ut pro ſe potius, quam pro nobis vivamus, ut vita gratiæ naturalis vitæ conſervatione nutriatur, & perficiatur; atque nos utramque naturæ, & gratiæ vitam ſervantes noſmet beata vita dignos reddamus, Hujus bonitatis tantummodo erat tantam pro nobis gerere curam, hoc numero, & mirabili hac epularum copia, vitam ſervare, valetudinem confirmare, & efficere, ut æternam mereamur felicitatem uſu, vel aliqua earum abſtinentia. At nonne æque ingrati, & infelices eſſemus, niſi ea uteremur ſubmiſſione, quam cupit, atque moderatione, quam nobis præſcribit? *P. Heliodorus Pariſienſis, Capuccinus, Sermone tertio de voluptatibus guſtus.*

Quomodo hac in re bellua homini, & viciſſim belluæ homo præſtet.

Alimentorum neceſſitas ad vitam tuendam ad modicum redigitur; natura ſibi ſatisfacit; & ſubſiſtit ſumptibus exiguis. Belluæ hac in re præſtant, quod nequaquam ſunt obnoxiæ tentationibus concupiſcentiæ, atque intemperantiæ; ſed nos illi præſtamus, quia tentationes has vincere poſſumus, & gratiæ ſubſidio, jugibuſque victoriis æternos mereri triumphos. Inter concupiſcentiam, & gulam, vel intemperantiam hoc diſcriminis eſt, quod concupiſcentia immoderata eſt bibendi, & manducandi cupiditas, ſed fortaſſe ſine voluntatis conſenſu, ideoque ſine peccato; & cupiditatem hanc auxilio gratiæ infringere poſſumus, & ſuperare; at gula deſiderium eſt voluntarium, & immoderatum bibendi, & manducandi, quod plurimos rapit mortales ad immoderate bibendum, & manducandum, quod belluæ non faciunt. *Idem.*

Exceſſus cibi, ac vini morbos parit, & denique mortem.

Morborum omnium maximus eſt cibi, potuſque immoderatus abuſus: gladii, tela, venena pauciores occidunt quam dapes, & merum; & amici plures enecant comeſſationibus, & ganeis, quibus opipare amicos ſuos conantur excipere; quam infenſiſſimi inimici iis artibus, quas odium, & ultio ſuggerere conſueverunt. Hanc ipſam rationem Eccleſiaſticus adfert, ut ab immodico epularum uſu deterreat: Ne abdomini veſtro inſerviatis, ait ille; ne dapibus omnibus voſmet ingurgitetis; nimia enim earum copia morbos gignere poteſt, qui certiſſimam vobis afferrent mortem. Quamobrem Sanctus Ambroſius eos corripit, qui ſollicitant amicos, ut ſeſe dapibus onerent, & mero proluant. Invitatis, ait, hominem, ut reficiatur; & illum ſibimet mortem inferre jubetis; illum menſæ accumbere vultis, atque ut ad cumulum efferatur, præcipitis; optimum illi prandium pollicemini, & illum torquetis; exquiſitiſſimum illi merum promittitis, & venenum ei propinatis, illum tamquam amicum domi veſtræ excipitis, & domo veſtra mortem ſinu gerens egreditur . . . At quid aliis opus eſt argumentis, ut ea probetur veritas, Medicorum omnium ſuffragio confirmata; quandoquidem docent, inflammationes, chiragras, colica, calculos, paralyſim, apopleſiam, hydropiſim, omneſque fere febres intemperantiæ eſſe effectus: & generale effatum eſt omnium ſæculorum experientia probatum, cibi, potuſque intemperantiam potiori mortalium parti mortem infligere. *Idem.*

Homo intemperantiæ deditus mortis ſuæ reus eſt.

Qui huic deditus eſt effuſæ in omnem intemperantiam libidini, ne putet, ſe culpa vacare ob eam mortem, quam crapula ſibi prævertit. Profecto pugionem pectori ſuo capulo tenuſ nequaquam infixit, ſed ictus ſcyphorum non minus lethales ſunt, quam pugionum. Quamquam infelix iſte oblectetur, rideat, & ſibimet vulnera infligens canat; venena, quæ efficiunt, ut homines morientes in cachinnos ſolvantur, nequaquam minus funeſta ſunt illis, quæ ex ægris lacrymas eliciunt; & quocumque inſtrumento tibi mortem conſciſcas, nunquam tibi parcit Deus, non ſecus ac homines illis non parcunt, qui ſibi necem intulere eo modo, quo legibus interdictum eſt . . . Si immodicis jejuniis, atque imprudenti auſteritate mortem tibi pepereris, vitio tibi vertetur mors tua, neque excuſaret pœnitentia hunc charitatis defectum. Quid porro mereri arbitraris his crapulis repetitis, & cædibus, quas ganeis, atque criminoſa intemperantia tibimet infers? *Idem.*

Hominis dignitatem abdicat, qui per immodicum vini uſum rationem amittit.

Homo non eſt amplius homo, ubi ſeſe vino proluens rationem amiſit, etenim id abjecit; quo a brutis diſtinguebatur, & quemadmodum cadaver, non aliud eſt, quam hominis imago. Ratio nos ſupra cætera evehit animantia; ipſa eſt vivens divinitatis imago, & Deus illam ſupra eamdem ſtudet attollere, eidem gratiæ, & gloriæ imprimens lineamenta: tu vero illam voluptatum tuarum victimam facis; Deus nimis dolet imaginem ſuam ita fœdari. Nequaquam dubitas, quominus ſeveras ex te pœnas poſtulaturus ſit, ſi cuipiam idolo aliquod vivens mactaveris; & non vides, te corpus, animam, rationemque tuam voluptatibus ſacrificare. Rationem exuiſti, in brutorum ordinem te redegiſti; in infamia peribis; eamque referes mercedem, quæ tuæ iniquitati debetur. Hæc ipſiſſima ſunt S. Petri verba: *Velut irrationabilia pecora in corruptione ſua peribunt, percipientes mercedem juſtitiæ. Idem.* *1. Petr. c. 2.*

Mala, quæ in hujuſmodi intemperantia, fiunt.

Operoſum eſt ab inſania vindicare hæc omnia juſcula, quæ adinventa fuere ad excitandam famem, & quæ tandem ſtomachus ipſe faſtidit; hunc morem tot calicibus propinandi; has cantiones, & colloquia, vel impia, vel obſcena, quæ pudor pati non poteſt. Hi corporis geſtus, & clamores, quos Ethnici quoque damnarunt, & omnes inurbanitates, quæ ruborem illis etiam ſuffundunt, qui eaſdem committunt, ubi reſipuerint; & quæ nonniſi cum contemptu in aliis ſpectantur; nonne palam oſtendunt rationem eorum meri fumo ſuffocatam fuiſſe? *Idem.*

Nullum eſt vitium, quod mero non excitetur, & alatur.

Concilium quoddam damnat nimium vini abuſum, tamquam vitiorum omnium nutrimentum: *Omnium vitiorum nutrix, & fomes ebrietas.* Neque hæc hyperbole eſt; quia ubi rationis jactura facta eſt, non ſolum ſine ulla verecundia debacchantur affectus: ſed ubi mero incaluerint, in omne *Conc. Agat. cap. 41.*

omne nefas erumpunt, & vere dici poteſt, nullum ſcelus eſſe, quod per ebrietatem non admittatur, non excitetur, non alatur. Et ſane aliquis ſuopte ingenio in obtrectationem pronus eſt? ubi mero maduerit, ipſam etiam innocentiam probris proſcindet; turbata ratio non ſinet, amicum ab inimico dignoſci, neutri parcet. Iracundiæ obnoxius eſt? ubi vino ſe proluit, percutit, minitatur, ferit, jurat. In impudicitiam proclivis? ignis hic devorans, quemadmodum in Scripturis vocatur, ex oculis ejus erumpit, in obſcœna exhalat verba, & cupiditas ſæpe a vi non abſtinet; tantum furoris addit ebrietas. Temeritas, odium, blaſphemia, cæteraque crimina magis intolerabilia fiunt, cum vino animantur; quemadmodum ſterquilinii fætor magis ſe prodit, ubi illud incaluit. *Idem*.

Homo, qui inebriari conſuevit, reus eſt ſcelerum, quæ in hoc ſtatu committit; & quare.

Cum aliquis vino deditus eſt, & experientia nullum dubitandi locum facit de malis, quæ in ebrietate committere conſuevit; dubitandum non eſt, quominus vitio illi vertat Deus ipſam ebrietatem, & quidquid per ebrietatem peccat. Equidem ſcio hominem, qui ſeipſum ad eam redegit neceſſitatem, per quam opera bona operari non poteſt, reum non eſſe, ubi omittit illa, licet bene operandi impotentia effectus ſit peccatorum illius: quia non prævidit mala, quæ inde erant conſecutura, & vix credibile eſt, hæc mentem illius ſubiiſſe. Non tenemur quolibet tempore bona opera facere; & nulla ratione melius ab illis diſpenſari poſſumus, quam eorumdem efficiendorum impotentia. At non idem ſentiendum eſt de blaſphemiis, obtrectationibus, impudicitiis; neque enim fas eſt illas committere, cum iiſdem licet abſtinere. Verum eſt hominem de ſana mente dejectum, nullumque rationis intervallum habentem, reum non futurum, ſi furore ſubito raptus aliquid contra divina, humanaque jura conaretur; quia illud non prævidit, & & quia cum non eſſet ſui compos, eidem integrum minime fuit ſuam rationem ſervare. Sed ebrietati deditus prævidit, & prævidere debui, mala, quæ patrat, ubi vino incaleſcit, uti ſupponitur; & ad hæc rationem ſuam ſervare debuit, uti lex divina præſcribit. Reus eſt igitur blaſphemiarum, malorumque omnium, quæ in eo ſtatu, in quo ultro ſeipſum conſtituit, operatur. Ubi ebrius aliquem occiderit humana juſtitia ebrietatis rationem minime admittit; at neque divina juſtitia illam admittit; quippe homo ille mentis ſuæ libertatem ſervare debebat. *Idem*.

Quid ſummis, & imis hac in re temperantia præſcribat.

Homines in vita ſeipſos ſecundum conditionem, ac bona ſua gerere debent, quod hac in re extraordinarium vocatur, nemini prohibetur, ubi ſit extraordinarium, hoc eſt rarum, ſingularibus occaſionibus reſervatum, & una die non abſumat, quod eſſet diebus pluribus neceſſarium. Nobilium, divitumque virorum communis menſa luxus eſſet illis, qui neque eorum bona habent, neque dignitatem. Verum ſi Deus ſinit, hos delicatioribus epulis uti, his eo magis ſibi cavendum eſt, quo pluribus modis majorique vi deliciæ, varietas, condimenta, & copia dapum temperantiæ adverſantur. *Idem*.

Helluones devorant familiæ ſuæ ſubſtantiam & ſunt filiorum ſuorum interfectores.

Quamvis crapula non officiat valetudini, ſatis eſt per illam patrisfamilias fortunas everti, ut moderate cibis uti cogantur; eorum enim immoderatus abuſus non ſolum eſt abutentis opprobrium, verum etiam filiorum parit calamitatem. Ethnici olim primos fideles accuſabant, quod in cętibus ſuis filios jugularent, ac innocentium victimarum ſanguinem eptarent. Primæ Eccleſiæ patres teterrimas haſce calumnias ſolo naturæ horrore confutarunt. Sed parentes ganeis ſuis abditi, & inſervientes abdomini, viam invenerunt comedendi ſubſtantiam, & bibendi quodammodo ſanguinem filiorum ſuorum, non ſine horrore ſolum, verum etiam cum gaudio in effuſiſſimam in omni temperantiæ genera libidinem impendentes bona, quibus pro eorum ſubſtantia parcere tenebantur. At ne credatis me nimium tragicis uti verbis; Spiritus Sanctus iiſdem utitur crudeliſſimos hujuſmodi parentes filiorum ſuorum interfectores appellans. *Necatores ſine miſericordia filiorum ſuorum, & comeſtores viſcerum hominum, & devoratores ſanguinis.* (Sap. 12.) Si hæc bona, quæ familiæ, filiorumque veſtrorum victui ſunt neceſſaria, in pauperum ſinum effunderetis; vos profecto contra charitatis præceptum peccaretis; hæc enim præcipit ut eorum egeſtatibus conſulatis, qui vos propius attingunt, antequam eleemoſynam erogetis; ut vero nequiſſimæ voluptati indulgeatis, in comeſſationibus, & ganeis ea diſſipabitis, quæ filiorum veſtrorum victui, & educationi debetis? *Idem*.

Parentes ſæpe crapula ſua ſunt cauſæ æternæ infelicitatis eorum qui ab illis geniti ſunt.

Paupertas, aliaque mala, quæ patrum intemperantia filiis adfert, tanta non ſunt, ſi conferantur cum jactura æternæ ſalutis, atque damnationis eorumdem, quæ quidem ſatis communis, nimiumque deplorabilis eſt harum ganearum effectus. Non loquor hoc in loco de ſcandalo, quod illis præbetur; non de criminibus, quibus educationis defectus, vel exigua parentum in illos auctoritas, vel ipſa paupertas illos objiciunt, vel fortaſſe adigunt; loquor ſolum, inhumani parentes, de contemptu, quem de vobis concipiunt; de odio, quod in vos fovent; de maledictionibus, quibus vos perſequuntur; de modica cura, quam gerent veſtri, ubi labore, & induſtria ex illis emerſerint malis, in quæ illos præcipites dederatis, atque reſtituerint everſam a vobis fortunam. Quomodo enim in pretio habeant parentem, qui nullam honoris, aut dignitatis eorum curam geſſit? Quomodo illum diligant, qui patriam exuit charitatem; reminiſcantur quid filii debeant illi, qui paterni amoris oblitus eſt; ſe putent vitam illi debere, qui intemperantia ſua eam miſerrimam fecit; atque grati animi ſenſus foveant erga eum, quem pœnitere videtur, quod illos genuerit? *Idem*.

Ganeonum exceſſus ſæpe publica peccata ſiunt.

Mirum eſſe non debet, niſi homines ſuo abdomini nati pauperum miſereantur, quandoquidem parum adeo filiorum ſuorum miſerentur. Quomodo enim pauperum, divitumque ſubſtantiam non devorent, ſi poſſint, quandoquidem ita crudeles ſunt, ut conſanguineorum bona obliguriant, quibus ſua reſervare deberent? Ita mala intemperantiæ, quæ perſonalia tantummodo eſſent peccata, ſi nocentium valetudini, innocentiæ, ſaluti officerent, fiunt peccata publica, cum uſque ad filiorum perniciem, & populorum oppreſſionem ſe extendunt. Hoc pacto infelix hæc intemperantia illam primi parentis noſtri imitatur, & quemadmodum originale illud crimen fuit generale hominum excidium; intemperantiæ mala tanta nonnumquam ſunt, ut cum ſubſiſtere nequeant in eorum perſona, qui illa committunt, fiunt mala domeſtica, & publica, & eo nequiora ſunt, quo perniciem inferunt graviorem. *Idem*.

Intemperantia urbanitati contraria.

Tunc homo apud cæteros mortales bene audit, atque habetur in pretio, cum in moribus illius deprehenditur vividum ingenium, ſuavitas, humanitas, atque feſtivitas; morales virtutes, quæ uti Ethnici quoque ſentiebant ſuaviſſima ſunt urbanæ ſocietatis vincula; at illæne reperiuntur in homine, quem intemperantia, ut plurimum impudentem efficit, vecordem, ruſticum, & ad quemcumque lædendum, & quodcumque amicitiæ vinculum infringendum, diſpoſitum? E contra quidquid odium homini conflare poteſt, plurimum confert, ut ganeo dedecore afficiatur. Invidia, quam ſibi creat, ſcandalum, quod aliis affert, vitæ, quam ducit, infamia, turpis, quam ſibi procurat, paupertas, inepta ad quodcumque munus obeundum facultas, hæc omnia illum in omnium contemptum, & odium adducunt: nam licet corruptus, & nequam ſit mundus, homines tamen hujus farinæ contemnit, & horret. Licet ganearum ſuarum ſodales illos concelebrent, & paraſiti, qui ex eorum profuſa largitate vivunt, eos diligant, atque perquirant: boni tamen illos contemnunt, & tamquam publicam peſtem execrantur: Et ſane videmuſne unquam homini qui ſeſe dapibus, meroque ingurgitat, ullum committi negotium, ullam demandari provinciam? Ullumne ei creditur ſecretum, vel ulla res momenti alicujus? An e contra illius vitatur ſocietas? & cum aliquod præbemus conſilium iis, in quos auctoritatem obtinemus, nonne etiam atque etiam commendamus, ne ullam cum illis ineant ſocietatem? *Ex Morali Dictionario Sermone 1. de ebrietate.*

Quam communis in mundo ſit ebrietas. *S. Auguſt. Serm. 231. de Temp.*

Quamquam intemperantia, ebrietas vero præſertim a Sapientibus omnibus, atque divina lege damnetur, ſcite Sanctus Auguſtinus animadvertit, numerum eorum, qui eidem dediti ſunt, tantum eſſe, & fatalem conſcientiarum eorumdem tranquillitatem, tantam habere vim in animos eorum, qui injuſtæ Chriſtianæ diſciplinæ ſeveritatem oderunt, ut qui naturaliter voluptatem amant, illic nullam eſſe culpam arbitrentur. Undenam proficiſci poſſet adeo craſſus error, quem tot Ethnici ſolo naturæ lumine ducti refutarunt; niſi quod peccatum hoc illos adeo vecordes effecit, & intemperantiæ ſocii tanto furore eos illuc rapiunt, ut credant, ſe impune labi poſſe in tantum facinus, cum ſodalitates, vel alia quævis occaſio illos impellunt. *Idem*.

Licet convivio amicos excipere, dummodo non migret in conſuetudinem.

Amico cęnam inſtruere urbanitatis, & ſæpe etiam ſocietatis honeſtæ neceſſitas eſt; ſed quotidianum hujus rei habitum efficere, atque corpori ſuo blandiri iis rebus omnibus, quæ temperantiæ oppoſitæ ſunt; in crapulis eos dies traducere, qui Divino cultui dicati ſunt, nullum tranſigere negotium, nullum inire pactum ſine ebrietatis, & comeſſationis auxilio, hæccine eſt neceſſitas, quam ratio probare poſſit? *Sermo manuſcriptus.*

Auribus, animoque excipiendum eſt, S. Leo inquit, quod in Evangelio ait Jeſus Chriſtus: (Luc. 21.) *Attendite vobis, ne forte graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate.* Metuamus ne adveniens in adeo brutali voluptate nos demerſos inveniat. Satis ſuperque videmus quotidie quam hujuſmodi intemperantia, & mentem aggravet, & corpus; quam contraria ſit & alterius acumini, & valetudini alterius; niſi temperantia infelicibus adverſetur illecebris gulæ, & neget voluptati quod nonniſi oneri futurum eſt. Deneget ergo ſemper anima ſancta aliquid corpori ſuo, huic frænum injiciat, neque illi permittat, quod eidem obfuturum eſt; ut carnis pondere exonerata liberius, atque pacatius vacare poſſit meditationi ſapientiæ, atque in profundo ſilentio æternas guſtare delicias, quibus ab ea cumulatur. Ex Patris hujus ſententia liquet, putandum non eſſe ſoporem hunc, de quo Dei Filius verba facit, eos tantum reſpicere exceſſus, qui horrorem cient, cum aliquis in vino mentem amittit. *S. Leo, Sermone 8. de Jejunio.*

Intemperantia ſecundum Scripturas eſt vitiorum omnium origo.

Sacræ Litteræ eos redarguentes, qui Noeticis temporibus divinam coegere juſtitiam, ut univerſum terrarum orbem diluvio obrueret; & alios qui de cęlo ignem in Sodomam, & Gomorrham temporibus Loth pertraxerunt; & novi teſtamenti malum divitem, illos dumtaxat inſimulant, quod immodice quotidie ſeſe dapibus, vinoque ingurgitarent. *In diebus Noe edebant, & bibant: in diebus Loth edebant, & bibebant,* (Luc. 17.) & ubi de malo divite ſermo eſt: *epulabatur quotidie ſplendide.* (Ibidem 16.) Scriptura non ait homines illos adulteros fuiſſe, fures, & homicidas; dicit ſolum illos quotidie opipare epulatos fuiſſe. At hoccine tantum ſcelus eſt, Sanctus Gregorius inquit? Ita ſane eſt; ſed ut intelligatur, non eſt his vocibus inhærendum. Conſiderandum eſt teterrima quæque vitia proficiſci ex ea cura; qua corpus blande nutritur, tamquam effectus ex cauſa; atque ita Scripturam affirmantem, has omnes divinæ juſtitiæ victimas in hoc unum fuiſſe intentas, quomodo abdomini ſuo inſervirent; paucis accuſare illos de vitiis omnibus, atque flagitiis. *In his enim attende quaſi in origine omnia genera virtutum. P. Gegou libro, cui titulus: Uſus Sacramenti Pœnitentiæ.*

Intemperantiam vulgo alia gravia ſcelera ſubſequuntur.

Nihil adeo mirum eſt, quam effuſa in omni intemperantia libido: Requies poſt prælium quæritur in iis voluptatibus, quæ magis laborioſæ ſunt, magiſque oppoſitæ valetudini, quam omnes exantlati labores. Non minus pudet neſcire vinum ferre, quam hoſtium acies propulſare. In convivio ridiculam, ineptamque perſonam gerit, qui jurare neſcit, qui cum aliis obſcœna verba non profert, qui in partem detrectat accedere impietatis, obſcœnarumque voluptatum, quas vulgo immodicus vini hauſtus inſpirat. Hæc autem vitia eo nequiora ſunt, quod dici non poſſunt ullam per ſe voluptatem afferre, niſi per ideam, quæ concipitur, quod qui hæc fecerit peccat, & per ſpeciem, nomenque bibaciſſimi helluonis, quod ille præſeferre cum jactantia videtur. Quid enim magis grave eſt, quam ultra vires bibere, & epulari? Quod bibitur, & comeditur ultra neceſſitatem, veram voluptatem adferre non poteſt. Attamen hac in re eo uſque proceditur, ut turpis gloria exiſtimetur, alios bibendo ſuperare, neque cuiquam cedere, niſi poſtquam in capacioribus ſcyphis rationis jactura facta eſt. *Liber, cui titulus De Puerorum educatione, J. Pici.*

INTENTIO.

Puritas Intentionis; Recta intentio omnibus in operibus habenda.

MONITUM.

SI intentio anima eſt, ac forma humanarum actionum, quæ illas efficit bonas, vel malas, probro, vel laude dignas; hinc ſequitur illam eſſe totius diſciplinæ Chriſtianæ principium, quandoquidem omnium actionum noſtrarum coram Deo pretium, meritumque conſtituit. Idcirco intereſt Evangelici quidem Oratoris de hac ex ſuggeſtu verba facere, noſtra vero argumentum hoc adeo neceſſarium nequaquam omittere.

Sed operæ pretium eſt admonere, nos hoc in loco de recta tantum intentione verba facturos; hoc eſt de rationibus, quæ omnia opera noſtra bona comitari debent, quin pravis immoremur conſiliis, quæ optimas quaslibet actiones corrumpunt, & facta, quæ in hominum oculis ſanctiſſima habentur, qualia ſunt deſiderium gloriam aucupandi, lucri ſpes, humanus reſpectus, & alia, quæ nobiliſſimas virtutes in vitia, & ſcelera vertunt; quamquam abſtinere non poſſimus quominus obiter, ac generatim tantummodo hæc attingamus, cum de illis ſingillatim in titulis ſuis verba fecerimus.

Ad hæc animadvertendum eſt hujus argumenti ſermonem eſſe debere didaſcalicum, ut quidquid ex Theologico penu depromptum de bonorum operum meritis, & bonis finibus, qui in eiſdem exercendis haberi poſſunt, in medium adfertur, facile intelligi, atque in praxim redigi valeat; virtualem ab actuali attentione eſſe diſtinguendam; docendum quonam tempore dirigenda ſit intentio, quave in occaſione inſtauranda; tradendam rationem, qua minimæ etiam actiones ob egregias cauſas, quæ eaſdem coram Deo maxime commendent, poſſint attolli; præſertim vero oſtendendum, quomodo poſſimus, & quanti referat nullius operis jacturam facere, ſed omnia, & ſingula in quæſtu ponere. Hæc omnia, quæ ad fideles erudiendos accommodatiſſima ſunt, hoc in argumento ſunt maxime neceſſaria.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus Argumenti Syſtemata.

I. DE bonis, quæ ex recta omnibus in operibus intentione percipimus. Hæc autem ad tria potiſſimum redigo,

Primum eſt, quod pura, atque recta intentione placemus Deo, noſmet eidem acceptos reddimus, quemadmodum ipſe teſtatur loquens de Job, David, aliiſque ſanctis viris, qui coram illo in cordis ſimplicitate ambulaverunt. Et ratio conſtat: